

tandi, seu quomodolibet appropriandi, vt dictis fratribus visum fuerit, quacumque legis vel juris cauillatione in contrarium edita non obstante. In cuius donacionis et recognicionis euidentiam sigilla nobilium virorum et dominorum domini Nicholai Thurisson militis, domini Mathei, prepositi Arosiensis, vna cum meo proprio duxi presentibus apponenda. Datum anno Domini m^occc^o quinquagesimo die beati Andree apostoli gloriosi.

På baksidan: Howadaryd (och med annan hand): i Vermaland.

Sigillen: n. 1, 3 borta; n. 2 (andligt; nedtill 2 små sköldar, visande tre sjöblad med spetsarne åt hörnen): s' MATHEI HALSTANS'S . P'POITI AROS .

4644.

1350 Dec. 5.

Reval.

Konung Magnus öfverlemnar till fogden i Åbo Gerhard Skytte sin enskilda egendom, Rimo gård i Åbo stift för en skuld af 1000 mark svenska penningar.

Orig. på perg. i Sv. Riksark.¹⁾

Magnus, Dei gracia rex Suecie Noruegie et Scanie, vniuersis presentes litteras inspecturis salutem in Domino sempiternam. Constare volumus euidenter, quod nos fideli nostro Gerardo Skøttu, aduocato nostro Aboensi, presencium exhibitori, et eius heredibus bona nostra personalia et aduenticia, videlicet curiam nostram in Rimo, Aboensis dyocesis, cum omnibus et singulis dicte curie adiacenciis, coloniis, agris, pratis, pascuis, siluis, piscariis, humidis et siccis, coniunctis et diuersis, longe vel prope positis, quomodocunque nominatis, pro mille marcis denariorum Sueuorum, in quibus nos ex justo debito ipsi Gerardo obligati veraciter tenebamur, dimittimus per presentes jure perpetuo possidendam, tranferentes in ipsum Gerardum et eius veros heredes plenam proprietatem et merum dominium dicta bona regendi, possidendi, tenendi, locandi, arrendandi, vendendi ac quomodocunque voluerint libere ordinandi, heredum vel successorum nostrorum seu cuiusuis alterius impetitione decetero non obstante. Datum Reualie anno Domini m^occc^ol^o dominica secunda aduentus eiusdem sub sigillo nostro.

Fragment af konungens stora sigill.

4645.

1350 Dec. 3—6.

Arnö.

Notariatsintyg rörande förhandlingarne mellan den påffige nuntien Johannes Guilaberti, dekan i Dorpat och kanik i Verdun, å ena sidan och ärkebiskopen i Upsala jämte domkapitlet å den andra om uppbörden af Peterspenningen, åtskilliga tionden påbudna af påfvarne Clemens 5, Johan 22 och Clemens 6, samt andra påfvestolens rättigheter och inkomster såsom annater, testamenten m. m. från Upsala stift.

Orig. på perg. i Sv. Riksark.²⁾

In nomine Domini Amen. Anno natiuitatis eiusdem millesimo ccc^o quinquagesimo indiccione tercia die tercia mensis Decembris pontificatu sanctissimi

¹⁾ Vid urkunden är fästad konung Håkan Magnussons stadfästelse, gifven Stockholm 1371 d. 2 Aug.

²⁾ Akten är skrifven på en lång pergamentsrulle, bestående af fyra hopsyddas stycken, af tillsammans nära 6 fots längd. Ett af styckena är delvis sönderrifvet och har några hål.

in Christo patris et domini nostri, domini Clementis, digna Dei prouidencia pape sexti, anno nono.

Nouerint vniuersi et singuli, quod existentes et personaliter constituti in loco dicto Arnø, dyocesis Vpsalensis, videlicet in curia siue in manerio archiepiscopali ac infra stupam siue aulam maiorem eiusdem domus, reuerendus in Christo pater dominus Hemmingus, Dei gracia archiepiscopus, ac venerabiles et discreti viri, domini Laurencius Nicolai prepositus, Sigfridus decanus, Benedictus Johannis et Halquinus Johannis, canonici ecclesie Vpsalensis, capitulum protunc facientibus(!) et ad faciendum capitulum ibidem specialiter congregati, me notario publico et testibus infrascriptis presentibus, venerabilis et discretus vir dominus Johannes Guilaberti, decanus Tarbatensis et canonicus Viridunensis, dicens se in regnis Suecie, Dacie et Norwegie ac in Lundensi, Vpsalensi et Nydrosiensi prouinciis necnon terris, dominio regum regnorum ipsorum subiectis, apostolice sedis nuncium et collectorem omnium et singularum quantitatum pecuniarum, bonorum, iurium, censuum et rerum quarumlibet aliarum, ad Romanam ecclesiam seu cameram apostolicam ex quacumque causa pertinencium, auctoritate eiusdem sedis apostolice specialiter deputatum exhibuit et intimauit ac per me notarium predictum legi et publicari fecit et mandauit coram dominis archiepiscopo et capitulo antedictis quasdam patentes litteras apostolicas, inferius per ordinem designatas, veris bullis blumbeis dicti domini nostri pape, in filis canapis pendentibus, more Romane curie bullatas, non viciatas, non cancellatas, nec in aliqua earum parte abolitas seu suspectas, set omni prorsus vicio et suspicione carentes, vt prima facie apparebat, quarum tenores seu effectus earum describuntur et designantur per hunc modum:

prima namque littera apostolica predictarum, quam intimauit et publicauit dictus dominus nuncius coram dominis archiepiscopo et capitulo predictis, vt prefertur, recommendacionem eiusdem domini nuncii ac negociorum, pro quorum expedicione fuerat ad partes predictas per sedem apostolicam destinatus, apud vniuersos et singulos continet in effectum, que quidem littera incipit in secunda linea: *jus* et finit in eadem: *capi*.

Item secunda littera apostolica commissionem generalem de recipiendis et exigendis per eundem dominum nuncium pecuniis, bonis ac rebus aliis, Romane ecclesie debitis et pertinentibus quoquomodo in partibus antedictis, continet in effectum et incipit in secunda linea: *et apostolicam* et finit in eadem: *aliarum* ¹⁾.

Item tertia littera apostolica commissionem specialem de colligendo per eundem dominum nuncium in predictis partibus pro quolibet humano capite vnum denarium, qui denarius beati Petri vulgariter nuncupatur, continet in effectum et incipit in secunda linea: *regnis* finitque in eadem: *cum te*.

Item quarta littera apostolica commissionem de recipiendis et colligendis per dictum dominum nuncium decimis sexennali, per felicitis recordacionis dominum Clementem, papam quintum, in concilio Viennensi, et triennali, per felicitis recordacionis dominum Johannem, papam xxii, in subsidium Terre sancte ac de-

¹⁾ Sv. Dipl. n. 4489.

pressionem rebellium Lombardie per vniuersas mundi partes inpositis et indictis, continet in effectum et incipit in secunda linea: *ac* finitque in eadem: *in* ¹⁾.

Item quinta littera apostolica commissionem de recipiendis et colligendis per eundem dominum nuncium triennali et biennali decimis, per dictum dominum Clementem, papam sextum, contra Thurcos inpositis et indictis, continet in effectum et incipit in secunda linea: *ac* et finit in eadem: *wlgari* ²⁾.

Item sexta littera apostolica commissionem de leuando et colligendo per dictum dominum nuncium fructus, redditus et prouentus annualium beneficiorum in regnis et prouinciis antedictis vacancium et ad cameram apostolicam spectancium continet in effectum et incipit in secunda linea: *multiplicia* finitque in eadem: *signitatum*.

Item septima littera apostolica commissionem de colligendis et exigendis per eundem dominum nuncium nonnullis censibus et aliis iuribus, a quibuscunque personis, tam ecclesiasticis quam secularibus, in dictis regnis et prouinciis ecclesie Romane debitibus, continet in effectum et incipit in secunda linea: *regnis* et finit in eadem: *cum*.

Item octaua littera apostolica commissionem de leuandis et exigendis per dictum dominum nuncium quibuscunque depositis, per quascunque personas in dictis regnis et prouinciis nomine Romane ecclesie factis, continet in effectum et incipit in secunda linea: *apostolica* finitque in eadem: *sue*.

Item nona littera apostolica commissionem de leuandis et exigendis per eundem dominum nuncium penis in quibuscunque contract[ibus] ³⁾ appositis et ecclesie Romane applicatis a quibuscunque personis continet in effectum et incipit in secunda linea: *necnon* finitque in eadem: *Dacie*.

Quibus quidem litteris, vt premittitur, lectis et publicatis, dictus dominus nuncius instantissime requisiiuit dictos dominum archiepiscopum et capitulum, quatenus de collectis, leuatis et perceptis in ciuitate et dyocesi Vpsalensi predictis nomine Romane ecclesie siue camere apostolice antedictis ex causis et occasionibus, in premissis apostolicis litteris ac earum singulis contentis et expressatis, siue ex aliis quibuscunque, debitum computum et racionem eidem nomine Romane ecclesie redderent et satisfacerent plenarie iuxta earundem litterarum apostolicarum continenciam et tenorem. Item peciit et requisiiuit idem dominus nuncius ab eisdem domino archiepiscopo et capitulo nomine Romane ecclesie, que sequuntur:

primo peciit et postulauit computum et racionem sibi fieri de fructibus, redditibus et prouentibus beneficiorum in ciuitate et dyocesi Vpsalensi constitutorum, apud curiam Romanam vacancium, qui, quamdiu dicta beneficia apud Romanam curiam vacauerunt ante prouisionem factam per sedem apostolicam, idem fructus, redditus et prouentus medio tempore collecti et percepti extiterunt, vel qui leuari vel percipi potuerunt seu debuerunt.

Item peciit de legatis factis in subsidium Terre sancte.

¹⁾ Jämf. Sv. Dipl. n. 2997. ²⁾ Se Sv. Dipl. n. 3734 och n. 4017. ³⁾ Sista bokstäfverne utplånade.

Item etiam de pecuniis in truncis per diuersas et singulas ecclesias parrochiales dictarum ciuitatum et dyocesium appositis pro acquirendo subsidio contra Truchos(!).

Et dicti dominus archiepiscopus et capitulum dixerunt et responderunt quod, cum inter predictas litteras apostolicas essent plures et diuerse, de quibus nunquam vsque nunc habuissent nocionem, nec etiam de quibusdam aliis petitis et requisitis per eundem dominum nuncium, ipsi volebant preuidere et deliberare super predictis omnibus et singulis, per dictum nuncium exhibitis et publicatis, ac aliis etiam petitis et requisitis per eundem, vt assertiue et deliberate valerent respondere: quare diem et horam ad deliberandum ac deliberate respondendum super eis ac copiam, si necesse fuerit, de predictis omnibus et singulis pecierunt.

Et dictus dominus nuncius, concessa copia omnium et singulorum premissorum, si et de quibus habere voluerunt, ad deliberandum et deliberate respondendum super eis et eorum singulis in crastinum hora vesperarum terminum eisdem assignauit, requirens ne notarium predictum infrascriptum, vt de omnibus et singulis premissis sibi facerem vnum vel plura publica instrumenta, et illud idem dicti dominus archiepiscopus et capitulum pecierunt.

Acta fuerunt hec anno, indicione, die, mense, pontificatu et loco predictis, presentibus viris discretis Andrea Hennekini, prebendato ecclesie Vpsalensis, domino Guiellermo Planessa, beneficiato in ecclesia sancti Pauli Narbonensis, Johanni(!) de Frezenchis, layco de Appannorum dyocesi, testibus ad premissa omnia et singula vocatis et rogatis.

Die vero crastina, que fuit dies quarta predicti mensis Decembris, predicti domini archiepiscopus et capitulum vna cum dicto domino nuncio conuenientes et existentes infra locum superius expressatum, dictus dominus nuncius cum instancia requisiiuit dictos dominos archiepiscopum et capitulum, vt de omnibus et singulis, per ipsum petitis, postulatis et requisitis die proxima precedenti ab eisdem nomine Romane ecclesie predictae, sibi integre responderent ac debitum computum et rationem eidem facerent de singulis seriatim.

Et dictus dominus archiepiscopus nomine prepositi et ipsius capituli, ibidem, vt premittitur, presentis, volens satisfacere termino eisdem, vt premittitur, assignato, deliberate respondit ad omnia et singula publicata, intimata, petita et requisita per dominum nuncium supradictum singulariter et singillatim per hunc modum:

primo ad primam litteram apostolicam recommendatoriam dixit, quod ipsi parati erant et promptos se offerebant ad omnia et singula, quecumque ipsi et eorum singuli pro ipso domino nuncio siue negociis eidem commissis possent agere seu iuuare ob reuerenciam domini nostri sanctissimi pontificis et eius sancte sedis, sicuti ad hec tamquam filii obediencie astricti sunt merito et tenentur.

Ad secundam litteram apostolicam, generalem commissionem de colligendis et exigendis omnibus et singulis pecuniarum, bonorum, iurium, censuum et aliarum rerum quantitibus continentem, dixit quod ipsi parati erant et promptos se offerebant tradere, assignare, satisfacere et, quodcumque vellent, computare et computum debitum et rationem eidem domino nuncio reddere de omnibus et

singulis pecuniis, bonis, juribus, censibus et quibuscumque rebus aliis per ipsos seu ipsorum aliquem collectis, perceptis et leuatis nomine Romane ecclesie ab eo tempore, citra quo eidem Romane ecclesie seu deputatis ab eadem non fuerit satisfactum.

Ad terciam litteram apostolicam, commissionem continentem de colligendo vno denario a quolibet humano capite in dictis partibus, qui denarius beati Petri nuncupatur, dixit quod rustici in dyocesi Vpsalensi existentes, qui colunt et seminant in anno agros suos, dant et conferunt illo anno pro se et tota familia sue domus vnum denarium integrum monete in regno Suecie communiter currentis, quamuis in aliis dyocesibus tocius prouincie Vpsalensis non conferunt nisi obulum siue medium denarium dicte monete, qui denarius beati Petri vulgariter nuncupatur. Alii vero, qui non colunt nec seminant terras aliquas, non consueuerunt dare dictum censum. Est autem quedam terra in dicta dyocesi Vpsalensi constituta, que vocatur prouincia Helsingonie, Angarmannie et Jampcie, que nunquam consuevit dare aliquid pro dicto censu, nec aliquid fuit exactum ab eisdem. De aliis vero omnibus, de quibus collegerunt et exegerunt, parati sunt et promptos se obtulerunt facere rectum computum ac pecunias tradere et satisfacere ab illo tempore, citra quo per alios nuncios apostolicos collectum minime extitit nec leuatum.

Ad quartam litteram apostolicam, commissionem continentem de colligendis, percipiendis et exigendis decimis sexennali per dominum Clementem, papam quintum, et triennali per dominum Johannem, papam xxii, in subsidium Terre sancte inpositis, dixit quod de sexennali decima, per dominum Clementem predictum inposita, ipsi satisfecerunt plenarie fratri Johanni de Serone, priori conuentus ordinis predicatorum de Sigiaco, et Bernardo de Ortolis, rectori ecclesie de Noualibus Caturcensis et Electocensis dyocesis, nunciis simul tunc ad partes predictas per sedem apostolicam destinatis. Et ad faciendum fidem de solucione dicte decime, per eos, vt premittitur, facta, ac quittance habita a nunciis supradictis produxit quoddam instrumentum prima facie publicum, scriptum et signatum manu et signo Guidonis de Auena de Porssano, clerici Magalonensis dyocesis, apostolica et imperiali auctoritate notarii publici, cuius tenor de verbo ad verbum talis est, vt sequitur: In nomine Domini Amen. Anno etc. *Se n. 2650 och n. 2571.* Dixit eciam quod decima triennalis, per dominum Johannem inposita, cum fuisset collecta et exacta per ecclesias, ciuitates, dyocesisque Vpsalenses, fuit postea eis remissa per felicis recordacionis dominum Benedictum, papam xii, ac deinde cuique beneficiorum, secundum quod eam soluerant, restituta, prout de dicta remissione fidem fecit per quandam patentem litteram, vera bulla plumbea ipsius domini pape Benedicti, in filo canapis pendente, more Romane curie bullatam, non viciatam, non cancellatam, nec in aliqua sui parte abolitam, set omni prorsus vicio et suspicione carentem, vt prima facie apparebat, que incipit in secunda linea: *cunctas* finitque in eadem: *prede*, et fuit data Auinione xv kal. Ianuarii pontificatus eiusdem domini Benedicti anno secundo ¹⁾.

¹⁾ Se Sv. Dipl. n. 3181.

Ad quintam litteram apostolicam, commissionem continentem de colligendis et recipiendis decimis triennali et biennali, inpositis per dominum Clementem, papam sextum, in subsidium contra Turchos, dixit quod decima triennalis predicta collecta et leuata extitit per eosdem seu deputatos ab eisdem in ciuitate et dyocesi Vpsalensi, secundum quod a dicto domino nostro papa receperant in mandato, et totam pecuniam eiusdem pecunie habent in promptu congregatam, quam parati sunt tradere et integre assignare eidem domino nuncio, quandocunque eis mandabitur per eundem. De biennali tamen dixit quod nunquam fuit eis indicta nec amodo vsque nunc aliqua mencio eis facta extitit de eadem, quia, si eis mandatum fuisset, eciam leuassent et exegissent biennalem, secundum quod fecerunt triennalem. Tamen quia nullum mandatum super hoc receperunt, aliquid collectum de ea non extitit seu exactum.

Ad litteram sextam apostolicam, commissionem continentem de colligendis et exigendis fructibus et prouentibus annualium beneficiorum ad cameram apostolicam pertinencium ratione uocacionis(!) et colleccionis(!) facte per sedem apostolicam eorundem, dixit quod super hoc nunquam fuit aliqua commissio per sedem apostolicam facta seu mandata. Ymo fuit facta super hoc specialis commissio per dictam sedem apostolicam in tota prouincia Vpsalensi domino Petro, episcopo Lincopensi, et ipse leuauit et collegit, quare ipsi colligere seu exigere merito non curarunt.

Ad septimam litteram apostolicam, commissionem continentem de leuandis et exigendis nonnullis censibus et aliis iuribus Romane ecclesie debitibus in dictis partibus, dixit quod ipsi nesciunt in tota dyocesi nec eciam in tota prouincia Vpsalensi aliquos census nec alia iura Romane ecclesie deberi per aliquas personas ecclesiasticas seu seculares, nisi tantummodo censum, qui denarius beati Petri uulgariter nuncupatur, quare aliquid non possunt nec debent respondere super illo.

Ad octauam litteram apostolicam, commissionem continentem de recipiendis et colligendis depositis, penes quascunque personas nomine Romane ecclesie factis, dixit quod penes eos seu ecclesiam Vpsalensem non fuit factum aliquod depositum nomine Romane ecclesie, quare super hoc in aliquo respondere non tenentur.

Ad nonam litteram apostolicam, commissionem continentem de leuandis et exigendis penis apposis in contractibus et Romane ecclesie applicatis, dixit, quod non est consuetum in istis partibus, quod tales pene in contractibus apponantur, nec vnquam audierunt dici quod apponerentur tales pene, quare super hec nichil collectum fuit per eos seu exactum, cum cessante causa cesset et effectus.

Item ad alias petitiones et requisiciones, factas per eundem dominum nuncium nomine Romane ecclesie eisdem dominis archiepiscopo et capitulo, dixit et respondit dictus dominus archiepiscopus nomine suo et dicti sui capituli ibidem, ut premititur, existentis, singulariter et seriatim per hunc modum:

primo ad petitionem seu requisicionem factam de fructibus et prouentibus beneficiorum, apud sedem apostolicam uacancium, qui medio tempore uacacionis eorundem collecti et leuati extiterunt seu qui leuari et colligi potuerunt, dixit quod nunquam aliquos fructus de talibus beneficiis collegerunt seu leuauerunt, nec colligi seu leuari a quoquam fecerunt, quia, quamuis ipsi scirent aliqua bene-

ficia apud sedem apostolicam vacare, nesciebant tamen quod fructus et prouentus eorum ad cameram apostolicam deberent exspectare seu etiam pertinere, maxime quod nullam commissionem unquam a Romana curia habuerunt super istis.

Item ad aliam requisicionem et petitionem factam per eundem dominum nuncium de legatis, factis in subsidium Terre sancte, dixit quod nunquam sciuerunt nec dici audiuerunt, quod aliqua talia legata in dyocesi et ciuitate Vpsalensi predictis fuerunt facta, quamuis verbum crucis fuerit sepiissime predicatum et etiam indulgentie, in litteris apostolicis super hoc confactis(!) contente, diucius etiam fuerunt publicate iuxta formam contentam in eisdem, tamen nesciuerunt quod propter hoc aliqua subsidia mitterentur aut legarentur Terre sancte, quare nichil super hoc colligere potuerunt.

Ad aliam requisicionem et petitionem factam de pecuniis, in truncis ecclesiarum ciuitatum et dyocesium Vpsalensium apposis, dixit et respondit quod verum fuit, quod ipse dominus archiepiscopus fecit apponi et affigi per vniuersas et singulas ecclesias ciuitatum et dyocesium Vpsalensium predictis(!) truncos cum tribus clauaturis iuxta formam et continenciam in litteris apostolicis sibi datam et mandatam, nesciuit tamen, si in dictis truncis fuerint alique pecunie apposite seu immisce. Dixit tamen quod ipse libenter faciet aperiri dictos truncos per aliquas personas fidedignas, ad hec specialiter deputatas, iuxta formam etiam in predictis litteris apostolicis contentam, quibus pecuniis leuatis et collectis ipse paratus est eadem pecunias, quecunque et quantecunque fuerint, eidem nuncio tradere seu etiam assignare.

Quibus responsionibus factis et propositis per dictos dominum archiepiscopum et capitulum, dictus dominus nuncius requisiiuit eosdem dominum archiepiscopum et capitulum, quatenus prefatas responsiones, per ipsos propositas et explicatas, auerarent suis propriis iuramentis, per eos et eorum singulos prestandis, et incontinenti domini archiepiscopus, manu sua supra pectus inposita, ac etiam prepositus, decanus et alii canonici ecclesie Vpsalensis predicti ad sancta Dei euangelia, corporaliter per eos et eorum singulos tacta, iurauerunt se meram et puram dixisse et posuisse veritatem et aliud in veritate ipsi esse nesciunt nec fuisse secundum consciencias suas iam sciuerunt, nisi illa, que dixerunt et responderunt, sicuti seriatim superius sunt descripta. Et tunc dictus dominus nuncius, volens deliberare super responsionibus et propositis per dictos dominum archiepiscopum et capitulum, vt premittitur, factis et explicatis, petiit copiam omnium et singulorum per eos productorum, allegatorum et propositorum, necnon ad audiendam deliberacionem suam super premissis ac etiam ad reddendum computum et rationem de omnibus, per eos nomine Romane ecclesie collectis, perceptis et exactis, diem lune proximam in vesperis et infra eundem locum, vbi nunc sunt, eis et eorum singulis terminum assignauit, petens et requirens me notarium predictum et infrascriptum, vt de omnibus et singulis responsionibus, propositis et allegacionibus, per dictos dominos archiepiscopum et capitulum superius factis et expositis, ac etiam de omnibus et singulis aliis actis, gestis et quocumque modo ibidem ordinatis, reciperem pro ipso eodem domino nuncio publicum instrumentum. Et illud idem dicti domini . . . archiepiscopus et capitulum pecierunt.

Acta fuerunt hec anno, die, mense, indicione et pontificatu predictis, presentibus religioso viro fratre Gerardo, lectore conuentus Sictuniensis ordinis fratrum predicatorum, Jacobo Olai, rectore parochialis ecclesie Vala, Andrea Hennekini, prebendato dicte ecclesie Vpsalensis, et Philippo Laurencii, layco dicte dyocesis Vpsalensis, testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis, et me notario infrascripto.

Qua die lune, que fuit dies sexta dicti mensis Decembris, per dictum dominum nuncium assignata, hora vesperarum conuenientes dicti domini archiepiscopus et capitulum vna cum eodem domino nuncio in loco consueto, superius expressato, dictus dominus nuncius dixit quod ipse deliberauerat super responsionibus, factis per dictos dominum archiepiscopum et capitulum, superius contentis et super productis seu exhibitis per eosdem, et non videbatur sibi sufficienter fuisse responsum aliquibus suis commissionibus siue requisicionibus, per eundem dominum nuncium intimatis, productis et postulatis, ab eisdem et precipue commissioni sibi facte super decima triennali exigenda, olim per felicis recordacionis dominum Johannem, papam xxii, inposita in subsidium Terre sancte et ex eo quia commissio sua triennem decimam continet, remissio autem facta per dominum Benedictum, papam xii, de qua ipsi litteram bullatam superius designatam producerunt, de sexennali decima, per dictum dominum Johannem olim inposita, faciebat mencionem. Quare alia fuisse videtur decima triennalis, que eisdem mandata fuit leuari et colligi, et alia sexennalis, que per dictum dominum Benedictum eis remissa extitit, in ipsius domini Benedicti predictis litteris expressata. Dixit eciam idem dominus nuncius quod non videtur sibi sufficienter fuisse responsum commissioni sibi facte de exigenda et colligenda decima biennali, per dominum nostrum Clementem, papam sextum, inposita post triennem immediate in subsidium contra Turchos, ex eo quia ipse jam habet penes se quandam litteram apostolicam, vera bulla plumbea in filo canapis pendente ipsius domini pape Clementis sexti more curie Romane bullatam, non viciatam, non cancellatam, nec in aliqua sui parte abolitam seu suspectam, set omni vicio et suspicione carentem, quam ibidem eidem domino archiepiscopo presente dicto capitulo produxit, exhibuit et presentauit. Que quidem littera eidem domino archiepiscopo Vpsalensi et eius suffraganeis dirigebatur ac eisdem in ea mandabatur, quod decimas omnium et singulorum beneficiorum in suis ciuitatibus et dyocesibus constitutorum per biennium a fine triennii, per alias apostolicas litteras eisdem et eorum singulis jam indicti, learent et exigerent ac omnia et singula obseruarent iuxta formam et continenciam in aliis litteris apostolicis dicte decime triennalis inposite eis datam et eciam expressatam, quas quidem litteras mandauit idem dominus nuncius de verbo ad verbum in presenti processu describi ac eciam de exhibicione et produccione per ipsum facta dicto domino archiepiscopo de eisdem sibi peccit fieri publicum instrumentum per me notarium predictum infrascriptum. Quare dixit quod videbatur sibi verisimile quod predictas seu similes vel pares in tenore eorundem dictus dominus archiepiscopus alias recepisse debuerit maxime propter longam datam in eis contentam, cum jam tres anni et vltra vel circa transierunt, quod

dicta biennalis decima deberet fuisse per eosdem collecta et exacta, et deinde sibi nomine Romane ecclesie debere respondere de eadem.

Et dictus dominus archiepiscopus nomine suo et eius capituli predicti ibidem presentis dixit et respondit ad rationes, per dictum dominum nuncium proxime expositas, et primo ad decimam triennalem per dictum dominum Johannem inpositam, vt prefertur, dixit quod littere remissionis facte per dominum Benedictum dicte sexennalis decime, de quibus supra habetur mencio, referebant quod decimam sexennalem per dominum Johannem, papam xxii, predecessorem suum, inpositam die vii kal. Augusti pontificatus sui anno xvii in subsidium Terre sancte ipse dominus Benedictus, motus ex causis et propositis in dictis suis apostolicis litteris contentis et declaratis plenarie remittebat, prout in eisdem litteris dicti domini Benedicti serius explicantur, et extunc post dictam sexennalem decimam dictus dominus Johannes aliquam decimam triennalem seu aliam quamcumque minime indixit, nec est verisimile quod indixit ex eo quia, antequam tempus sexennalis decime transiisset, ipse dominus Johannes papa obiit eciam per quatuor annos ante et vltra vel citra. Quare dixit se ipsos in aliquo non teneri propter ista.

Item ad decimam biennalem, per dominum Clementem, papam sextum, inpositam, dixit quod verum erat, secundum quod alias jam dixerat, quod nunquam aliquam commissionem receperat seu mandatum de dicta decima biennali exigenda vsque nunc presentem litteram superius expressatam, et illam ipse recepit et acceptavit ibidem cum omni qua decet reuerencia et honore, vt tenetur, offerens se promptum et paratum omnia et singula contenta et sibi mandata in prefatis litteris apostolicis, ad que facienda tenebitur, perficere et complere juxta posse et juxta formam et seriem in eisdem litteris sibi directam et mandatam ac eciam expressatam. Fuit tamen nichilominus dictus dominus archiepiscopus solempniter protestatus quod nunquam vsque nunc predictas litteras aut alias sibi similes in tenore habuit seu recepit, de qua protestacione et eciam noua recepcione facta ipsarum litterarum ipse dominus archiepiscopus peciit sibi fieri publicum instrumentum per me notarium predictum infrascriptum. Dominus eciam nuncius predictus de exhibicione, tradicionem et presentacionem predictis, eidem domino archiepiscopo per ipsum factis, peciit eciam sibi, si opus fuerit, fieri aliud publicum instrumentum.

Et tunc dictus dominus nuncius dixit eisdem dominis archiepiscopo et capitulo quod ipse ad presens non intendebat amplius insistere altercacionibus premissorum, set protunc ipse volebat desistere super eis, vsque maiorem et certiore informacionem ab eisdem seu ab aliis habuisset super illis. Voluit tamen et ipsos instanter requisiiuit quod de illis, de quibus fatebantur habere et collegisse pecunias nomine Romane ecclesie seu camcre apostolice antedictis, sibi computum et rationem redderent debitum et legale, secundum quod dies presens et hora per eundem dominum nuncium fuerant eis super hoc assignate, quia ipse paratus erat computa sua, quecumque ipsi vellent ipsi tradere, computare, recipere et audire plano modo.

Et dicti dominus archiepiscopus et capitulum dixerunt quod ipsi non habebant computare nisi de denario beati Petri per eos collecto ab eo tempore, citra quo receptus non fuit per alios nuncios apostolicos, predecessores istius,

et de decima triennali, per dictum dominum Clementem, papam sextum, inposita contra Turchos, et de istis duabus rationibus siue causis ipsi parati sunt et paratos se optulerunt eidem domino nuncio debitum computum facere et legalem. Et deinde ad dictum computum procedentes, juramento tamen prius per ipsos dominos archiepiscopum et capitulum corporaliter et singulariter prestito de faciendo et reddendo eidem domino nuncio nomine Romane ecclesie de predictis denario beati Petri et decima sexennali(!) bonum et legalem(!), ad reddicionem dicti computi de predictis et rationem faciendam de eisdem processerunt per ordinem in hunc modum:

primo super annuali censu seu denario beati Petri predicto dixerunt et premiserunt quod ista dyocesis Vpsalensis est diuisa et distincta in quatuor partes seu in quatuor prouincias, quarum vna nominatur prouincia Thiundie, secunda Attundie, tertia Fierundie et quarta Helsingonie, Angermannie et Jempcie, et de tribus primis prouinciis predictis ipsi collegerunt et leuauerunt beati Petri denarium predictum, de quarta autem nichil ex eo quod illi homines de illa prouincia nunquam aliquo tempore consueuerunt dare seu conferre illum censum. De aliis tribus prouinciis predictis ipsi dixerunt et confessi fuerunt se habere et collegisse nomine Romane ecclesie predictae a decem et octo annis citra proximo preteritis, videlicet ab anno natiuitatis Domini m^occc^oxxx^o tercio inclusiue, a quo tempore citra nullum computum seu rationem aliquam fecerunt dicte Romane ecclesie de dicto annuali censu seu deputatis ab eadem. Vltimo tamen vsque tunc dixerunt se tradidisse et computasse de dicto censu seu denario beati Petri cum domino Petro Geruasii, canonico Viuariensi, olim sedis apostolice nuncio, et super hoc produxerunt quoddam instrumentum recognicionis et quittacionis, prima facie publicum, scriptum et signatum manu et signo Jacobi de Eusebio de Bulgella, clerici Vercellensis dyocesis, auctoritate apostolica et imperiali notarii publici, sigillatumque quodam pendenti sigillo cere viridis, in quo erat infixum ymago, palmam ramarum in manu dextra tenens et in sinistra liliu, et subtus erat ymago stans flexis genibus cum manibus applicatis, sub cuius pedibus libra continetur et erant scripte tales littere circumquamque: *sigillum Petri Geruasii, canonici Viuariensis*, de quo instrumento et eius tenore dictus dominus nuncius peciit copiam ac de tradicionem et recepcione eiusdem peciit sibi fieri publicum instrumentum per me notarium predictum infrascriptum. Voluit eciam et precepit michi notario predicto dictus nuncius, quod idem instrumentum quittacionis et recognicionis in presenti processu penerem ac de verbo ad verbum describerem. Tenor vero eiusdem instrumenti dicitur esse talis: In nomine Domini Amen. Anno etc. *Se n. 2981.*

Quo instrumento sic producto, vt prefertur, dicti dominus archiepiscopus et capitulum dixerunt penes se habere de collectis et leuatis per eosdem nomine Romane ecclesie pro annuali censu siue denario beati Petri in dicta prouincia Thiundie, que sequuntur:

et primo videlicet de anno Domini millesimo ccc^o tricesimo tercio viginti tres marchas

item de anno Domini m^occc^oxxx^o quarto viginti tres marchas

item de anno Domini m^occc^oxxx^o quinto viginti quinque marchas cum ii oris

item de anno Domini m^occc^oxxx^o sexto viginti quinque marchas
 item de anno Domini m^occc^oxxx^o septimo viginti tres marchas cum tribus
 oris et quindecim denariis
 item anno Domini m^occc^oxxx^o octauo viginti quinque marchas
 item anno Domini m^occc^oxxx^o nono viginti duas marchas cum vna ora
 item anno Domini m^occc^oxl^o viginti tres marchas
 item anno Domini m^occc^oxl^o primo viginti quatuor marchas
 item anno Domini m^occc^oxl^o secundo viginti duas marchas cum sex oris
 item anno Domini m^occc^oxl^o tercio viginti tres marchas cum quatuor oris
 et XII denariis
 item anno Domini m^occc^oxl^o quarto viginti duas marchas cum sex oris
 item anno Domini m^occc^oxl^o quinto viginti tres marchas cum dimidia et
 duabus oris
 item anno Domini m^occc^oxl^o sexto viginti quatuor marchas cum vna ora
 et duobus denariis
 item anno Domini m^occc^oxl^o septimo viginti tres marchas [cum] duabus
 oris et VII denariis
 item anno Domini m^occc^oxl^o octauo viginti quatuor marchas
 item anno Domini m^occc^oxl^o nono viginti vnam marchas
 item anno Domini m^occc^o quinquagesimo viginti sex marchas cum XII denariis.
 Summa vero tocius istius prouincie predictae ad quadringentas viginti quin-
 que marchas, tres oras et sex denarios se extendit.
 Item asserunt se leuasse et collegisse nomine Romane ecclesie predictae in
 prouincia Atundie Vpsalensis dyocesis pro dicto censu annuali siue denario beati
 Petri, que sequuntur:
 primo videlicet de anno Domini predicto m^occc^oxxx^o tercio viginti marchas
 item anno Domini m^occc^oxxx^o quarto viginti marchas
 item anno Domini m^occc^oxxx^o quinto viginti marchas
 item anno Domini m^occc^oxxx^o sexto decem et nouem marchas cum dimi-
 dia et VII denariis
 item anno Domini m^occc^oxxx^o septimo decem et nouem marchas cum dimi-
 dia et octo denariis
 item anno Domini m^occc^oxxx^o octauo decem et nouem marchas cum dua-
 bus oris et XVI denariis
 item anno Domini m^occc^oxxx^o nono decem et nouem marchas
 item anno Domini m^occc^o quadragesimo decem et octo marchas cum dimidia
 item anno Domini m^occc^oxl^o primo decem et nouem marchas
 item anno Domini m^occc^oxl^o secundo viginti marchas
 item anno Domini m^occc^oxl^o tercio decem et nouem marchas
 item anno Domini m^occc^oxl^o quarto decem et nouem marchas
 item anno Domini m^occc^oxl^o quinto decem et nouem marchas cum tribus
 oris et quatuor denariis
 item anno Domini m^occc^oxl^o sexto decem et nouem marchas ¹⁾ cum vna ora
 quatuor denariis

¹⁾ cum dimidia et sex denariis öfverstruket.

item anno Domini m^occc^oxl^o septimo decem et nouem marcas cum dimidia
[et] sex denariis

item anno Domini m^occc^oxl^o octauo decem et nouem marcas cum dimidia

item anno Domini m^occc^oxl^o nono decem et nouem marchas cum duabus
oris et xii denariis

item anno Domini m^occc^oquinguesimo decem et nouem marcas cum se-
decim denariis.

Summa vero tocius istius prouincie predictae ad trecentas quadraginta octo
marchas cum sex oris et duobus denariis se extendit.

Item asserunt se leuasse et collegisse nomine Romane ecclesie predictae in
dicta prouincia Fiedrundie dicte dyocesis Vpsalensis pro dicto censu annuali siue
denario beati Petri, que sequuntur:

et primo de anno natiuitatis Domini predicto m^occc^oxxx^o tercio vndecim
marchas cum septem oris

item anno Domini m^occc^oxxx^o quarto vndecim marchas cum quinque oris
et xvi denariis

item anno Domini m^occc^oxxx^o quinto vndecim marchas cum septem oris

item anno Domini m^occc^oxxx^o s[exto]¹⁾ marchas cum quinque oris et
sex denariis

item anno Domini m^occc^oxxx^o septimo vndecim marchas cum sex oris et
quinque denariis

item anno Domini m^occc^oxxx^o o[ctauo]¹⁾ marchas cum tribus oris et
viii denariis

item anno Domini m^occc^oxxx^o nono vndecim marchas cum sex oris et qua-
tuor denariis

item anno Domini m^occc^oquadr[a]ge[simo]¹⁾ marchas cum dimidia
et xvi denariis

item anno Domini m^occc^oxl^o primo decem marchas cum dimidia et xx denariis

item anno Domini m^occc^oxl^o secundo¹⁾ [m]archas cum tribus oris et
xvi denariis

item anno Domini m^occc^oxl^o tercio vndecim marchas cum dimidia

item anno Domini m^occc^oxl^o quarto vndecim marchas cum xviii d[enariis]¹⁾

[item¹⁾] ann[o] Domini m^occc^oxl^o quinto vndecim marchas cum duabus oris
et vno denario

item anno Domini m^occc^oxl^o sexto vndecim marchas cum tribus oris

item anno Domini m^o[ccc^o]xl^o septimo vndecim marchas cum duabus oris
et xii denariis

item anno Domini m^occc^oxl^o octauo duodecim marchas cum vna ora

item anno Domini m^occc^oxl^o nono vndecim marchas cum dimidia

item anno Domini m^occc^o quinguesimo duodecim marchas.

Summa vero tocius istius prouincie predictae ad ducentas quinque marchas
cum septem oris et duos denarios(!) se extendit.

Et sic summa vniuersalis omnium collectorum et leuatorum per dictos
dominum archiepiscopum et capitulum Vpsalense nomine dicte Romane ecclesie

¹⁾ Bortfrätt.

pro dicto annuali censu siue denario beati Petri in predictis tribus prouinciis in dicta dyocesi Vpsalensi constitutis et in viginti tribus annis proximis preteritis, singulariter et seriatim superius expressatis et declaratis, ad nongentas octoginta marchas denariorum cum decem denariis monete Succie seu vsualium denariorum in regno Succie currencium generaliter se extendit.

Item dixerunt et asseruerunt predicti dominus archiepiscopus et capitulum se leuasse et collegisse ac penes se in promptu habere decimam triennem siue totam pecuniam decime triennalis, olim inposite per dominum Clementem, papam sextum, supradictum ad tres annos in subsidium contra Turchos, quam leuauerunt et receperunt distincte et particulariter in ciuitate et dyocesi Vpsalensi predictis in primo anno dicti triennii et, vt sequitur seriatim:

primo dixerunt se habuisse et recepisse de mensa dicti domini archiepiscopi Vpsalensis pro dicta decima primi anni centum triginta marchas

item de prebendis ecclesie Vpsalensis predictae centum quatuor marchas denariorum

item de prouincia Tiundie dicte dyocesis Vpsalensis centum triginta nouem marchas cum duabus oris denariorum.

item de prouincia Atundie centum sedecim marcas cum sex oris denariorum

item de prouincia Fiedrundie octoginta duas marchas cum quinque oris

item de prouincia Helsingie, Angermannie et Jempcie quinquaginta septem marchas cum sedecim denariis.

Et sic in vniuerso ascendit summa colleccionis tocus decime predictae, recepte per dictos dominum archiepiscopum Vpsalensem et capitulum in primo anno dicti triennii, vt prefertur [ad] sexcentas viginti nouem marchas cum quinque oris et sedecim denariis.

Item dixerunt et asseruerunt domini archiepiscopus et capitulum predicti se leuasse et collegisse ac penes se eciam habere de dictis ciuitate et dyocesi Vpsalensi in secundo anno sequenti pro dicta decima triennali tantundem, sicuti in primo anno precedenti habuerunt.

Item eodem modo de tercio subsequenti anno aliis duobus precedentibus predictis asseruerunt et dixerunt se habere.

Et sic de totali summa tocus decime triennalis predictae collectae et leuatae in dictis ciuitate et dyocesi Vpsalensi, vt premittitur, per tres annos continuos et completos dixerunt se habere in vniuerso, videlicet predicti domini archiepiscopus et capitulum, mille octingentas lxxxix marchas cum vna ora.

Tenor vero litterarum apostolicarum super decima biennali, per dominum Clementem, papam sextum, inposita, de qua superius fit mencio, de verbo ad verbum dicitur esse talis: Clemens etc. *Se Sv. Dipl. n. 4017.*

Quibus sic peractis dictus dominus nuncius requisiiuit me notarium predictum infrascriptum vt de omnibus premissis et singulis publicatis, requisitis, postulatis, responsis, datis et propositis, ac eciam computatis et confessatis, necnon eciam de quibuscunque aliis actis et gestis seu quocunque modo in presenti negotio agerentis, prout in presenti processu sunt inserta et publicata et explicata, sibi facerem vnum vel plura, quot voluerit, publica instrumenta ac eciam vnum

vniuersabiliter de toto presenti processu vel plura diuisim et particulariter de singulis actibus, prout sibi visum fuerit expedire. Et dicti domini archiepiscopus et capitulum pecierunt et requisierunt illud idem.

Acta fuerunt hec anno, mense, die, indicione et pontificatu predictis, presentibus religioso viro fratre Gerardo, lectore conuentus Sictoniensis ordinis fratrum predicatorum, necnon dominis Jacobo Olau, rectore parochialis ecclesie Vala dicte dyocesis Vpsalensis, Andrea Hennechini, prebendato ecclesie Vpsalensis, et Philippo Laurencii, layco dicte dyocesis Vpsalensis, testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

(Notariatsmärke). Et me Henrico Arturi, clerico dicte Vpsalensis dyocesis, imperiali auctoritate notario publico, qui in premissarum litterarum leccioni, publicationi, requisicionibus et computorum tradicioni et reddicioni ac aliis omnibus et singulis actis et gestis in presenti processu et cum sic, vt in presenti processu seriatim describuntur, agerentur, vna cum prefatis testibus presens fui presentemque processum scripsi et publicauit ac in modum et formam instrumenti publici recepti requisitus et rogatus.

4646.

1350 Dec. 6.

Arnö.

Arkobiskop Hemming i Upsala meddelar biskop Sigge i Strengnas en bestyrkt afskrift af påfven Clemens 6:s bref af den 12 Dec. 1345 rörande fortfarande tioudeinsamling af andliga inkomster för ett tvåårigt korstäg mot turkarne, hvilket bref den påfve nuntien Johannes Guilaberti öfverlemnad.

Vidim. afskr. på perg. i Sv. Riksark. ¹⁾

Hemmingus, diuina miseracione archiepiscopus Vpsalensis, venerabili fratri suo domino Siggoni, eadem miseracione episcopo Scarensi, fraternam in Domino caritatem. Noueritis nos recepisse in die sexta mensis Decembris proximo transacta per manus viri venerabilis domini Johannis Guilaberti, decani Tarbatensis et canonici Virdunensis, sedis apostolice nuncii, quasdam litteras apostolicas, vera bulla plumbea in filo canapis bullatas, non viciatas, non cancellatas, non abolitas, nec in aliqua sui parte viciatas, sed omni suspicione, vt prima facie apparebat, carentes, tenoris et continencie infrascriptarum: Clemens episcopus, seruus seruorum etc. *Se n. 4017.* In cuius rei testimonium presens transscriptum de predictis originalibus litteris apostolicis transsumi fecimus et scribi per notarium infrascriptum et subscriptionem cum signo suo consueto apponi et sigilli nostri munimine roborari. Datum anno Domini millesimo ccc^o quinquagesimo mense et die supradictis apud manerium nostrum Arnö.

Et ego Petrus Mathie, clericus Vpsalensis dyocesis, alias Arosiensis, puplicus auctoritate imperiali notarius, presens transsumptum de predictis originalibus litteris apostolicis, quas non viciatas, non cancellatas, non abolitas, sed omni vicio

¹⁾ I en vidimation af biskop Sigge i Strengnäs 1351 d. 23 Jan. Ett likalydande bref, stäldt till biskop Tomas i Vexjö, finnes, med undantag af notariatsattesten, bevaradt i en vidimation af domkapitlet i Vexjö 1351 d. 10 Febr.